

quam Contarenus proposuerat, notis scriptas literas ad Decemvirum magistros confestim dederunt, postulantes uti rescriberent, *vellent ne, atque permetterent, si necessitas urgeat, eo consilio ipsos uti.* qui de collegii sententia rescripserunt, *ex reipublicæ dignitate sibi eam rem non videri.* Ludovicus interea cum legatorum dissimulatione atque prudentia, qui ea se nescire quæ ab illo parabantur, ostendebant, tum sua sponte, quod nihil omnino tuti irritandis legatis in tam nova suspectaque dominatione se habiturum videbat, ab eo per se consilio destitit. Iis confectis rebus, milites obsessi oppido Novaria emittuntur: oppidum Ludovico restituitur. Legati Veneti post hæc omni cum exercitu Cremam cum venissent, militesque, quos oportuit, dato stipendio missos fecissent, reliquosque milites equitesque in hyberna deducendos curavissent, cum imperatore Mantuam profecti, ludis ab eo dies aliquot habitis, ad urbem reverterunt. Carolus cupidissimis suis omnibus, multo cupidius ipse, trajectis Alpibus, suum in regnum concessit.